



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de
Montisfalisci, M.DCC.XVII.**

Casus XXI. Argumentum. In quibus casibus valida sit Institutio facta ab
Ordinario absque præsentatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72191)

cem Tonsuram, sed iste Clericus si præsentatus, & institutus in Ecclesia Parochiali debet infra annum promoveri ad Sacerdotium, itaut si ipse infra dictum tempus non promoveatur ad illud, est ipso Jure dicta Ecclesia Parochiali privatus, & Patronus poterit alium ad illam præsentare, nisi habuerit justum impedimentum, & justam Causam non se promovendi ad Sacerdotium, E. G. si incidat in Irregularitatem, ut quia oculum, vel manum amisit, vel in infirmitatem absque culpa sua, secus si ex culpa, aut si Episcopus non possit, aut nolit ordines conferre, & interim poterit satisfacere oneribus Curæ Animarum per alium. *Text. in dicto cap. Licet Canon. de Elect. ibique Gloss. verb. Privatus, Gloss. in dicto cap. Si pro Clericis de præben. verb. Promoveri, Fagnan. in cap. Cum in cunctis de elect. §. Inferiora. num. 19. Garz. de Benefic. part. 3. cap. 4. num. 2. & seqq. Antonell. de regim. Eccles. lib. 3. cap. 5. num. 41.*

¹⁴ Hæc omnia procedunt in puris terminis, quibus fundator Ecclesiæ Parochialis disposuerit, quod præsentetur ad illam unus de familia, vel extraneus, quo casu censetur voluisse se conformare cum dispositione Juris communis non requirentis in præsentando de tempore præsentationis Sacerdotium, secus si dixisset, quod præsentetur ad illam unus Sacerdos, tunc enim intrare posset quæstio, an requiratur Sacerdotium de tempore præsentationis, quam quæstionem examino infra in Secunda Parte. Procedunt etiam, quoad Ecclesiam Parochialem de Jurepatronatus Laicali, quæ non providetur per concursum, quid autem dicendum de Ecclesia Parochiali de Jurepatronatus Ecclesiastico, quæ providetur per concursum, & in qua concurrentes examinari, & approbari debent ab Examinatoribus Synodalibus, & eligi ab Episcopo, & postea Patronus unum ex approbatis, & electis ad dictam Ecclesiam præsentare, juxta *Concil. Trident. sess. 24. de Reformat. cap. 18.* & dicam infra in Quinta Parte, an Examinatores Synodales, & Episcopus inter concurrentes possint approbare, & respectivè Patronus præsentare ad hujusmodi Ecclesiam Parochialem Clericum habentem solum

Pars I.

simplicem Tonsuram, & in ætate constitutum, ut possit infra annum ad Sacerdotium se promoveri, relicto Sacerdote?

Certum est, quod cæteris paribus Episcopus non potest approbare, & eligere, nec Patronus præsentare hujusmodi Clericum habentem simplicem Tonsuram relicto Sacerdote, quia cæteris paribus Sacerdos propter prærogativam ordinis præferendus est non Sacerdoti. *Barbos. ad Concil. in dicto cap. 18. sess. 24. Passarin. de Elect. cap. 30. num. 18. Ventrigl. in prax. lib. 2. annot. 5. §. 2. num. 7.* Sed ubi cætera non sunt paria videlicet, si Clericus habens simplicem Tonsuram, & constitutus in ætate, ut infra annum possit ad Sacerdotium promoveri, sit utilior, & aptior Ministerio Curæ, magis prudens, aut de familia illius, de cujus Bonis fundata est Ecclesia, & magis conferre possit ad bonum commune, quàm Sacerdos, tunc Examinatores, & Episcopus poterunt approbare, ac respectivè Patronus præsentare præfatum Clericum relicto Sacerdote, quia in hoc Casu ille Clericus diceretur dignior. *Antonell. de regim. Eccles. lib. 3. cap. 5. §. 4. num. 33. Rota decis. 22. num. 29. coram Buratt. Passarin. de Elect. cap. 33. num. 25. Ventrigl. in prax. lib. 2. annot. 5. §. 2. num. 61. Rota decis. 105. num. 12. & seq. part. 10. recent. & in Placentina Parochialis 16. Martii 1708. §. Iste autem cum seq. coram R. P. D. Ansaldo.*

ARGUMENTUM.

In quibus Casibus valida sit institutio facta ab Ordinario absque præsentatione Patroni.

SUMMARIUM.

- 1 Sex enumerantur Casus, in quibus valet collatio, & institutio facta ab Episcopo absque præsentatione Patroni.
- 2 Vacante Beneficio Patronali ex causa permutationis an possit Episcopus etiam sine consensu Patroni illud conferre?
- 3 Episcopus conferens Jure devoluto non potest aliter conferre, quam habeat institutio, & natura Beneficii.

C A S U S XXI.

IN ordine ad Secundam Conclusionem deductam ex hoc Textu, nempe quod Ordinarius non possit instituere Rectorem in Ecclesia Patronali, spretis Patronis, ut fuit etiam resolutum à Sacra Congregatione Concilii in *Ratisbonen. Juris præsentandi* 11. *Maii* 1709. Quæritur an in aliquo Casu possit Ordinarius instituere Rectorem in Ecclesia Patronali absque præsentatione Patroni?

Sex ponuntur Casus à *Falin. in cap. Cum Bertoldus de sent. & re judic. volum. 3.* in quibus valet collatio, & institutio facta ab Episcopo absque præsentatione Patroni. Primò si ex post facta collatione Patronus consentiat, *Lotter. de re Benefic. lib. 2. quest. 14. num. 65. Paris. cons. 144. num. 1. tom. 4. Garz. de Benefic. part. 11. cap. 3. sub num. 19.* Secundò si collatio, vel institutio fiat præsentate, & tacente Patrono. Tertiò si institutio fiat de ipso met Patrono. Quartò si post factam collatio-

nem, lapsum sit tempus præsentandi, tunc valet dicta collatio absque præsentatione facta *Abb. in cap. Illud de Jurepatr. num. 8.* Quintò in permutatione facta ex causa utili Ecclesiæ. Dicit enim *Geminian. cons. 50.* quòd vacante Beneficio Patronali ex causa permutationis, potest Episcopus etiam sine contentu Patroni præficere Ecclesiæ Patronali Rectorem illius Ecclesiæ, à qua iste ratione permutationis ex causa utili fuit translatus, & in qua fuit institutus Rector Ecclesiæ Patronalis. Idem videtur etiam asserere *Anan. in cap. Cum dilectus de Jurepatr. n. 5.* Sextò. Si Patronus non potest præsentare, quem vult, aut intra terminum Juris non præsentaverit, tunc enim lapsò dicto termino poterit Episcopus Jure devoluto liberè conferre Beneficium absque præsentatione Patroni; sed tamen Episcopus conferens Jure devoluto non potest aliter conferre, quàm habeat institutio, & natura Beneficii, *Falin. in cap. Cum accessissent de Constit. num. 17.*

